



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Disputationes|| ROBERTI BELLAR-||MINI E SOCIETATE  
IESV,|| DE CONTROVERSIIS CHRISTIANAE|| FIDEI,  
ADVERSVS HVIVS TEM-||poris Hæreticos,||**

Tribus Tomis comprehensæ.||

De Ecclesia, Qvæ Est in Pvrgatorio

**Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>**

**Ingolstadii, [1599]**

**VD16 B 1607**

VIII. Num ex receptaculis suis animæ defunctorum egredi valeant.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53890](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-53890)

Videtur mihi dicendum, non esse improbabile talem aliquem locum reperiri, ceterum eiusmodi locum ad Purgatorium pertinere, et si enim ibi nulla sit pœna sensus, tamen est pœna damni, pœna autem non conuenit nisi animæ, quæ nondum plenè purgata est. itaque erit locus ille mitissimum Purgatorium, & quasi carcer quidam senatorius, atque honoratus. Hoc tamen addendum est, animas, quæ in eo loco morantur, non solum carere beatitudine, sed etiam affligi, auctorqueri ex illa dilatione beatitudinis. Dixi autem, mihi non videri improbabile, talem aliquem locum reperiri, quia S. Thomas in 4. sent. dist. 21. q. 1. art. 1. scribit, in iis quæ de Purgatorio determinata non sunt ab Ecclesia, standum esse iis quæ sunt magis conformia dictis & reuelationibus Sanctorū. mouit me etiam auctoritas Ioannes de Turrecremata doctissimi, atque optimi Cardinalis, qui in prologo, qui præmittitur, Reuelationibus S. Brigittæ, cum diligenter expendisset eas reuelationes, affirmare non dubitauit S. Brigittæ conuenire id, quod dicitur Judith 8. omnia quæ loquuta es, vera sunt, & non est in sermonibus tuis vlla reprehensio. Scribit autem S. Brigitta lib. 4. cap. 124. animam quandam in Purgatorio nullam aliam pœnam habuisse, nisi dolorem ex desiderio dilatæ felicitatis.

## CAPVT VIII.

*Num ex receptaculis suis animæ defunctorum egredi valeant.*

**A**LTERIVS autem quæstionis triplex esse potest sensus. PRIMVS, an possint exire nunquam redituræ, quia nimis transferantur de uno receptaculo ad aliud. SECUNDVS, an possint exire, ut rursum redeant ad suum locum. TERTIVS, an possint ita egredi, ut hic nobiscum iterum viuant.

Quantum ad PRIMVM sensum, facile responderi potest, ex inferno damnatorum, limboque puerorum non dari regressum; ex Purgatorio, limboque Patrum dari; sunt enim animæ impiorum damnatae ad perpetuos carcères, & ignes Gehennæ, & similiter animæ pueroruad perpetuum exilium,

&amp;

& tenebras. Animæ autem sanctorum Patrum damnatae erant ad exilium temporale, & animæ Purgatorij ad carceres temporales. ratio est, quia causa carceris, vel exilij damnatorum est culpa mortalis actualis, vel originalis, quæ nunquam remittetur; causa autem exilij Patrum fuit debitum temporale contractum ex peccato primi parentis; ille enim suo peccato cœlum clauserat, quod aperiri non potuit, nisi Christi sanguine re ipsa effuso; causa verò Purgatorij est reatus temporalis pœna, quæ necessariò finem habet.

**C O N T R A** hoc tamen est auctoritas Ioannis Damasceni, qui in oratione de mortuis dicit, orationibus S. Theclæ liberatam de inferno animam Falconillæ cuiusdam fœminæ paganæ, & orationibus S. Gregorij Papæ animam Traiani Imperatoris.

**R E S P O N D E O**, si hæc historia defendi debeat, oportere dicere, Traianum non fuisse damnum absolutè ad inferos, sed solùm punitum in inferno secundum præsentia eius demerita, & suspensam sententiam propter præuisas B. Gregorij preces; & præterea non immediate ex inferno ad cœlum transisse, sed prius corpori vnitum, & tunc baptizatum, & pœnitentiam in hac vita egisse; ista enim est communis solutio beatæ Thomæ Durandi, Richardi, & aliorum in 4. dist. 45. Quia tamen Traianum resurrexisse, sine teste dicitur, nec enim nullus veterum huius rei meminit, & repugnat hoc sententia Damasceni, qui satis aperte docet de inferno ad cœlum transisse, non autem ad hanc vitam rediisse Traianum, & si pœnitentiam egit, in inferno illam egisse: Cūm tamen solius Damasceni auctoritate nitantur auctores citati, ideo magis propendo in sententiam Melchioris Cani, qui lib. II. de locis, cap. 2. simpliciter improbat hanc historiam ut confictam, & Dominici a Soto, qui in 4. dist. 45. quæst. 2. art. 2. dicit, hanc historiam sibi creditur durissimam esse, non obstante Apologia Alfonsi Cinonis, pro hac historia ante hoc triennium edita. Rationes autem quibus moueor sunt quatuor:

**P R I M A**, quia quotquot hanc historiam admiserunt, id fecerunt propter Damasceni auctoritatem; at librum illum non esse Damasceni facile probari potest; nam in eo libro auctor non solùm dicit Traianum, & Falconillam ab inferno damnatorum ad regnum cœlorum transiisse, sed etiam multos

multos alios, qui in infernum descenderant, quia fide diuina caruerint, à Christo conuersos, & saluatos quando ad inferos descendit: quod & per se erroneum est, & contrarium verbis Damasceni lib.2. de fide, cap.4. vbi dicit, hominibus id esse mortem, quod fuit Angelis casus.

**S E C U N D A** ratio est, quia nullus auctor Latinus historiæ eius meminit, vt Paulus Diaconus, Anastasius Bibliothecarius, Marianus Scotus, Ado, ac ne ipse quidem Beda, qui beati Gregorij studiosissimus fuit; immò in ipsa Romana Ecclesia, & eius archiuis nulla huius rei memoria exstabat, quando Ioannes Diaconus vitam B. Gregorij scripsit; ipse enim vitam B. Gregorij ex archiis Romanis diligentissimè collegit, & tamen lib.2. cap.44. dicit, hanc historiam de Traiano reperit in Ecclesia quadam Anglorum, nec fidem certam illi habitat à Romanis.

**T E R T I A**, quia B. Gregorius lib.34.moral.cap.13.aliás 16. dif-  
fertē docet, non posse orari pro infidelibus defunctis, quēad-  
modum nec pro Diabolo, quandoquidem in eadem æterna,  
& irreuocabili damnatione sunt; quomodo ergo credibile est  
eum id fecisse? Respondet Abulensis quæst.57.in 4.lib.Regum,  
ideo Gregorium peccasse mortaliter orando pro Traiano; sed  
absurdissimum est & ferè blasphemum, cùm constet Grego-  
rium virum fuisse non modò sanctissimum, verū etiam pru-  
dentissimum. Deinde si peccauit mortaliter orando, quomo-  
do fuit exauditus? Num Deus placatur, quando offenditur?  
Respondet Ciaconus, non peccasse Gregorium orando, sed  
meruisse potius, quia licet ordinariè non liceat orare pro  
damatis, tamen licet ex peculiari instinctu diuino.

**A T C O N T R A.** Eadem historia refert Gregorium propter  
hoc peccatum punitum fuisse perpetuo dolore stomachi, &  
pedum. Respondet ipse, hunc dolorem non datum Gregorio  
in pœnam, sed ne elatio illi subrepereret. At contrà;nam Petrus  
Diaconus, quem ipse citat ex libro quodam bibliothecæ Vati-  
canæ, dicit, Gregorio ab Angelo dictu fuisse, quod quia præ-  
sumperat hoc petere, laboraret usq; ad mortem dolore, &c.  
ergo in pœnam peccati; nam præsumptio peccatum est.

**Q V A R T A** ratio est, quia argumenta Ciaconis non con-  
cludunt; ipse enim nititur præcipue his testibus. **P R I M O**, té-  
simonio Petri & Ioannis Diaconorum Gregorij, quod ex-  
stare

stare dicit in bibliotheca Vaticana. **S E C V N D O**, testimonio innominati auctoris, qui scripsit vitam B. Gregorij, quæ præponitur operibus eius impressis Basileæ anno M. D. LXIV. qui auctor videtur vixisse tempore ipsius Gregorij. **T E R T I O**, testimonio Damasceni. **Q V A R T O**, testimonio Ioan. Diaconi lib. 2. cap. 44. vita B. Gregorij. **Q V I N T O**, testimonio S. Thomæ. **S E X T O**, testimonio S. Brigittæ. **S E P T I M O**, testimonio Mechtildis.

**P R I M U M** testimonium mihi valde suspectum est; nam si illud esset verè Petri Diaconi, non diceret Ioannes Diaconus, historiam hanc non extare in Romana Ecclesia, sed solum apud Anglos. præterea iste Petrus dicit, Gregorium à Deo petiisse, ut quotquot sepelirentur in Ecclesia S. Andreæ in cli-  
no Scauri, non possent damnari, dummodò fidem tenuerint Christianam, & impetravisse. At certè Gregorius vir pruden-  
tissimus nunquam ita orasset; nam vel intelligit de fide infor-  
mi, vel de formata; si de informi, ergo voluisse saluari homi-  
nes morientes sine caritate, quod quis credat? si de formata,  
non erat opus id petere; nam ubique sepius sepius, qui mo-  
ritur cum caritate, damnari non potest. **A D D E**, quod totum  
illud fragmentum redolet nouitatem, & proinde supposi-  
tum videtur: vocat enim Gregorium diuum, quod nomen  
tempore erat inusitatum. Item anteponit Cardinales Episco-  
pis; quod repugnat Ioanni Diacono, qui in vita S. Gregori  
scribit, ex Cardinalibus consueuisse promoueri à Gregorio  
multos ad Episcopatum, ut ad gradum altiorem, alia quoq;  
habet non pauca signa nouitatis.

**T E R T I V M** testimonium iam est reiectum.

**Q V A R T V M** est contra ipsum Ciaconum; nam Ioanne  
Diaconus dicit, animam Traiani nō esse liberatam de infer-  
no, sed solum id obtinuisse, ut in inferno existens non patero-  
tur pœnâ ignis, Ciaconus autē vult eam esse in cœlo beatam.

**Q V I N T V M** est etiam contra ipsum; nam B. Thomas vb  
ex professo hoc tractat, nimis in 4.d.45.q.2. probabilissi-  
mum putat animam Traiani liberatam solum à pœnis infer-  
ni usq; ad diem iudicij, ac deinceps cruciandam cum ceteris.

**S E X T V M** est valde obscurum; nam S. Birgitta non dicit Tra-  
ianum esse saluum, sed solum eleutum ad gradum altiorem  
vbi indicat in inferno aliquid salutis recepisse.

S E P T I M O

SEPTIMVM est expressè contra ipsum; nam Mechtildis dicit, se petiuisse à Domino quid egerit cum animabus Sampsonis, Salomonis, Origenis, & Traiani. & responsum esse, Deum velle esse omnibus incognitum, quid sua liberalitas cum illis egerit. si ergo Deus vult esse incognitum, non est credendum auctori bus, qui afferunt Traianum esse in cœlo. Adde, quòd Deus in hac reuelatione coniungit Traianum cum Origene: At in prato spirituali, quod citatur à VII. Synodo, & a Ioanne Diacono lib.2. cap.45. vitę B. Gregorij, narratur alia reuelatio, qua Origenes visus est in Gehenna ignis cum Ario, & Nestorio, & V. Synodus, cap.ii. dicit anathema Origeni sicut Ario, Nestorio, & cæteris hæreticis.

Quantum ad SECUNDVM, quidam existimant animas non posse unquam de suis receptaculis egredi, sed omnes apparitiones esse Dæmonum, qui fingunt se esse animas de Purgatorio exeentes, & suffragia postulantes. ita Tertullianus libro de anima circa finem, & Auctor quæstionum ad Antiochum quæst.ii. & 13. idem videntur dicere Chrysostomus homil.29. in Matth. & hom. 2. & 4. de Lazaro, & Theophylactus in cap.8. Matthei, quanquam hi duo, si bene legantur, non dicunt, nullo modo posse animas egredi ad nos, sed non posse egredi pro arbitrio suo, nec verti in Dæmones, nec vagari inter nos more Dæmonum. Hæretici huic temporis omnes apparitiones animarum rident, tanquam Dæmonum illustrationes, præcipue Magdeburgenses.

Verissima tamen est Augustini sententia libro de cura pro mortuis, cap.15. & 16. nimia impudentia esse negare animas interdum ad nos redire Deo iubente vel permittente; habemus enim testimonia grauissimorum auctorum, de regressu animarum ex omnibus receptaculis, præterquam ex limbo puerorum. Nam quod ex cœlo animæ beatæ ad nos aliquando veniant, sunt exempla certissima apud Eusebium lib.6. hist. cap.5. Augustinum de cura pro mortuis, ca.16. Sulpitium in vita Martini, Paulinum in vita Ambrosij, Theodoretum lib.5. hist. cap.24. Gregorium lib.3. Dialogorum, cap.24. & 25. & in VII. Synodo act.4.

Quòd ex limbo Patrum apparuerint animæ probat Augustinus libro de cura pro mortuis, cap.15. & 16. ex lib.1. Regum, cap.28. vbi Samuelis anima apparuit Sauli, & ex Matt.17. vbi

IIIii

Moses

Moses apparuit cum Helia in monte Thabor. quamuis enim Hilarius in hunc locum , & Ambrosius lib. 1. de Cain, cap. 2. dicunt, Mosem adhuc viuere, tamen contrarium expressè habetur Deut. vlt. & Iosue 1.

Quòd ex Purgatorio apparuerint, sunt exempla apud Gregorium lib. 4. Dialogorum, cap. 40. & 55. & alios auctores supra citatos. Quòd denique ex inferno, probat multis exemplis auctor librorum de proprietatibus apum , & idem apparet ex illa apparitione Doctoris Parisiensis in vita beati Brunonis , qui post triduum à morte dixit se condemnatum Credibile est, animam illam mox à morte in infernum descendisse, sed tamen ter apparuisse; & PRIMO, manifestissimam accusationem. SECUNDО, suum iudicium. TERTIO suam damnationem; ut hoc modo pluribus innotesceret hoc exemplum.

Quantum ad TERTIVM, quòd aliqui ex Purgatorio vel limbo Patrum fuerint ad vitam reuocati , nulli dubium est potest. Nam mortui, quos excitarunt Helias, Helisæus, Dominus Christus, & Petrus, & Paulus, cùm fideles fuerint, conduntur fuisse in Purgatorio, aut in limbo, neq; ullum sequitur inconveniens , si ex his locis aliqui resurgent , siquidem nihil aliud est, quām mutare illis exilium, vel carcerem.

DICENS; at iam erant certi de sua salute, & per resurrectionem sicut incerti. RESPONDET bene Abulensis quæst. 57. II. 4. Regum, omnes eos , qui ex Purgatorio aut limbo Patrum in vitam reuocati fuerunt, sine dubio confirmatos fuisse in gratia , ut nullo modo perire potuerint, quia alioqui iniurias illis factas fuisse.

Quòd autem ex cœlo , aut inferno damnatorum reuocari possent ad vitam , videretur incredibile , nisi exstant exempla, quæ negari non possunt. Nam B. Gregorius lib. 1. Dialogorum, cap. 9. scribit, à S. Fortunato excitatum fuisse Marcellum quendam virum sanctum , qui ab Angelis in optimum locum ductus fuerat. Et cap. 12. scribit, à S. Seuero excitatum quendam virum pessimum , qui à Dæmonibus in infernum deducebatur. Eusebius scribit lib. 3. cap. 2. B. Petrum excitans affinem quendam Cæsarî Ethnicum à morte. Nec dubitate potest, quin Apostoli aliquos Ethnicos excitarint. Maximus serm. 2. de sancta Agneta, dicit, ab ea excitatum filium præf.

Eti, qui in peccato mortali obierat. Et Euodius lib. I. de mira-  
culis S. Stephani, dicit, puerulum mortuum ante Baptismum,  
ad reliquias S. Stephani excitatum.

*Nun expat hic liber  
Euodij?*

Dico igitur, beatos iam existentes non posse reuocari ad  
vitam; siquidem beatitudo includit certitudinem de non a-  
mittendâ ynquam felicitate, vt B. Augustinus docet de cor-  
rept. & gratia, cap. 10. & ratio est manifesta, quia beatitudo est  
status omnium bonorum aggregatione perfectus; non habet  
autem omnia bona, qui non habet illam certitudinem. Si igi-  
tur aliqui sancti viri redierunt ad corpus, non fuerunt beati,  
sed Deus prouidens eorum excitationem, distulit eorum bea-  
tificationem, & interim detinuit eos in optimo aliquo loco,  
vt accedit Marcello illi, de quo Gregorius loquitur.

De damnatis similiter dico, damnatum absolute ad pœnas  
æternas, non posse reuocari ad vitam, quoniam alioqui fieret  
incerta impiorum damnatio; & sanè B. Augustinus lib. 21. de  
ciuit. Dei, cap. 24. nimia presumptionis esse dicit afferere, eos  
iron mansuros perpetuò in igne, quibus Veritas dicit: *Ite in  
ignem aeternum*; dicit autem hoc Veritas omnibus, quos dam-  
nat tam in particulari, quam in vniuersali iudicio. Præterea  
nullus esset damnatorum, qui non posset sperare salutem, &  
pro quo non possimus orare. nunc enim non oramus pro in-  
fidelibus damnatis, quia secundum fidem credimus eos non  
posse saluari; at si possunt saltem ex priuilegio saluari, certè  
pro illis orandum esset, sicut in hoc mundo oramus pro ob-  
stinatis in malo, vt Deus det illis gratiam efficacem, quæ cer-  
tè non datur, nisi ex priuilegio.

SED obiicit Abulensis quæst. 57. in 4. librum Regum, ei, qui  
excitatur ab inferno damnatorum, non remittitur neq; cul-  
pa, neque pœna per ipsam excitationem, neque aliud mira-  
culum h̄c necessarium est, quam simplex mortui resuscita-  
tio, ergo fieri potest, vt tales redeant. RESPONDEO, non re-  
mitti culpam, neq; pœnam, sed dari beneficium æquivalens,  
quia ponitur in statu, in quo poterit à culpa & pœna liberari;  
ex quo sequuntur omnia absurdâ suprà dicta, quod non erit  
certa impiorum damnatio: quod illi sperare poterunt: quod  
licebit pro eis orare.

Ad illa exempla, quæ adferuntur, respondet Sotus in 4. di-  
stinct. 45. quæst. 2. artic. 2. omnes Ethnicos, quos Apostoli ex-  
IIIii 2 cito-

citarunt, laborasse ignorantia inuincibili fidei, & proinde in purgatorio fuisse.

At quid respondebit Sotus Ambrosio, qui serm. 90. & Maximo, qui serm. 2. dicunt, beatam Agnetem excitasse filium præfecti, quem Diabolus necauerat, cum voluisse ipsam virginem sanctam stuprare? Igitur dico, eos qui sunt excitati, cum mererentur poenas æternas, non fuissent damnatos, sed suspensam eorum sententiam, & interim punitos secundum præsentem iniustitiam, vt B. Thomas docet in 4. sent. dist. 45. quæst. 2. art. 2. quomodo etiam respondent Richardus, Durandus, & alij ibidem.

## CAPVT IX.

### *De tempore, quo durat Purgatorium.*

**A**M VERO de tempore, quo Purgatorium permnebit, duo sunt errores extremi. PRIMVS error est Origenis, qui extendit tempora Purgatorij intra diem resurrectionis; ita enim habet homilia in Lucam: *Ego puto, inquit, quod post resurrectionem mortuis indigemus Sacramento eluente nos, atque purgante, nemo enim absq[ue] sordibus resurgere poterit.* Hic tamen est error exploratus, nam B. Augustinus lib. 21. de ciuit. Dei, cap. 18. *Purgatorias penas, inquit, nullas futuras opinetur, nisi ante illud ultimum tremendumque iudicium.* Et ratio est, quia Dominus Matthæi 25. in iudicio solùm duos ordines hominum dicit futuros; vnum beatorum; alterum damnatorum.

DICES; *Anima non peccauit sola, sed simul cum corpore, igitur simul cum corpore purgari debet; proinde post resurrectionem homines purgabuntur.* RESPONDEO, si argumentum concluderet, probaret etiam, animam separatam non posse puniri in inferno, nec voluptatibus in cœlo frui, contra Euangeliū Lucæ 16. *Crucior in hac flamma.* Et Lucas 23. *Hodie mecum eris in paradiſo.*

Dico igitur, meritò puniri animam etiam solam, quia ipsa est subiectum & cauſa efficiens peccati; nam sunt quædam opera hominum, quæ non possunt fieri nisi à toto complicito, nec recipi, nisi in totum compositum, vt illa omnia quæ fiunt à potentiis organicis, vt loqui, videre, audire, &c. & talia dislo-